

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz
Naumann, Tobias Gottfr.**

Ienae, 1712

VD18 11426357-001

§. V.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

mano corpore, corroboratio. Ob suauitatem enim particulae odoriferae per nares irruendo cerebrum demulcent, spiritus animales augent, sopitos autem in eodem, & a quacunque causa stupefactos, recreant, ac agiles reddunt, ita ut interdum suauitate odorum exanimis etiam reuocentur, quia naturae humanae gratus est odor bonus, & acceptus. Accensa itaque thymiamata, vel alia odoramenta, quae fumos fragrantis exhalant, halitusque suaues spirant, amamus, iisque oblectamur, quippe quae venenosos vapores ac foetores dissipant & expellunt. Foetor contra vehementissime offendit naturam, & prosternit nonnunquam, mortemque infert: ita, ut, si foetorem tormentum & cruciatum dixeris, a vero non aberraueris. Hinc cadauera, ac singula graueolentia celerrime ac procul fugimus. Ex dictis liquido constat, bonam fragrantiam denotare posse, delectationem, siue voluptatem singularem, quam proxime efficit.

§. V. *Euidia* rarius quidem absolute in sacris ponitur literis, fere tamen adiunctam habet vocem *ὄσμην*, ex linguae idiotismo non sine

sine emphasi. * *Evodia* enim per se iam denotat odorem suavem, bonum, gratum, eumque late, & maximo sensu sese diffundentem. Accedente ergo voce ὀσμῆ, quae alias vocabulum μέσον est, designatur odor benefragrans.

§. VI. Vocis *odoris*, in scripturis varia ac multiplex est acceptio, tam in bonam, quam in malam partem; sed eam omnem hic enarrare, superuacaneum valde foret, & a scopo remotum. Potiores significaciones recenset Matthias Flacius. ** Vocis *ἐβωδίας* tantum acceptiones indicabimus, quae ad nostrum faciunt institutum. Omnium primo & praecipue usurpatur vox *ἐβωδία* a LXX. interpretibus de sacrificiis DEO oblatis, quae igne consumebantur. In eorum enim accensione odor omnino redolebat, qui non adeo quidem gratus, quin potius molestus erat, ob foetorem, quem carnes accensae alias exhalabant. Vnde ob longe alium respectum, odor ille, suavis dicendus erit. Neque enim in

* Vid. Glassius in *Gram. S. l. 3. tract. 1. cap. XXXII, p. m. 461.* Celeberrimus Danzius noster, in *interprete* §. 18.

** In *clauae sua*, sub voce *odor*.